C. Aslacus.

De verbo Dei scripto.


Hafniæ 1617.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-376 8° 3638




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-376 8° 3638


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-376 8° 3638



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-376 8° 3638



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-376 8° 3638



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-376 8° 3638

DE DEO
Religionis Chriſtianæ
ARTICULO SECUNDO

Diſputatio I. de cognitione Dei naturali

Complexa has potiſsimũ controverſias

I. An ſit aliqua Naturalis Dei cognitio.
II. Quid illa ſit.
III. Ex quibus fontibus hæc promanet.
IV. Quanta & qualis ſit, nempe langvida & imperfecta.
V. Sitne utilis hæc naturalis Dei cognitio.

Quibus annexa ſunt problemata quædam, non minùs ſcitu neceſſaria, quàm jucunda.

De quibus S. Sancta Triade præſente & gratioſè annuente

Sub præſidio

CUNRADI ASLACI Bergenſis.

Reſpondebit

MARTINVS MATTHIÆ f. Hafnienſis.

In auditorio ſuperiori, hora 7. matutina 6. Auguſti An. 1617.

TYPIS SALOMONIS SARTORII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-376 8° 3638

VIRO,

Ampliſsimo, conſultiſsimo,

Prudentiæ rore, Gravitatis decore, omniq́ʒ virtutum ſplendore, conſpicuo, Præſtantiſſimo,

Dn. IVARO PAULI

Reipublicæ Hafnienſis Conſuli meritiſsimo, digniſs:

NEC NON

Reverendo, Clariſſimo, Doctiſſimoq́ʒ Viro,

M. PETRO CLAUDII

Stureio, ad Templum D. Spiritus, quod Hafniæ eſt, animarum curatori vigilantiſsimo, fidelisſimo,

Fautoribus ſuis, magni nominis & ominis, ſincero ore æſtimandis, ardenti amore colendis, debito honore honorandis

τοῦτο ἀγώνισμα θεολογικὸν
εἰς τοῦ χαριστηρίου σύμβολον, μνημόσυνον
καὶ τῆς θεραπείας τεκμήριον, κριτήριον,

ultrò

Offert & inſcribit

Reſpondens.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-376 8° 3638

THESIS.

I.

DE Deo duplex eſt myſterium: Unum Triunitatis, ſeu trium perſonarum in una indiviſa eſſentia: Alterum biunitatis, ſeu duarum eſſentiarum in una indiviſa perſona Jeſu Chriſti. Utrumq́; nobis religiosè commendatum. Joh.17,13. Hæc eſt vita æterna, ut te cognoſcant eſſe illum ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.

II. Et quidem de Deo triuno hæc ſex momenta, totidem etiam diſputationibus σὺν θεῷ, diſcutienda, nobis penſitanda veniunt. 1. De cognitione Dei naturali. 2. de nominibus Divinis. 3. de divinis attributis. 4. de tribus in una eſſentia Divina perſonis. 5. de trium perſonarum communione & diſtinctione. 6. De æterno Deo Patre, Filio, & Spiritu Sancto.

III. Dei agnitio duplex eſt: Naturalis & ſupernaturalis Rom.1,19.& 21

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-376 8° 3638

1.Cor.1,21. & c.2,7. quarum illa ex libro naturæ; hæc non niſi ex verbo Divino depromitur: Illa communis omnium ſanorum hominum: hæc verò Chriſtianorum eſt propria.

1. An ſit aliqua naturalis Dei notitia.

IV. Quod verò ſit ejusmodi notitia Dei naturalis homini cognita, liquet. 1. ex illo Pauli Rom. 1. v. 18. 19. qui aſſerit gentes τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ, veritatem Dei, ſeu veras de Deo notitias in injuſtitia h.e. quaſi in iniquitatis quodam carcere, detinere, dum iisdem non obtemperent. 2. Aſſerit v.19. γνωστὸν ſeu τὴν γνῶσιν τοῦ θεοῦ, hoc eſt, id quod de Deo cognoſci poſſet, vel cognitionem Dei, φανερὸν ἐν αὐτοῖς, notam eſſe in ipſis, ſeu in ipſorum cordibus. 3. Hanc Dei notitiam appellat δικαίωμα τοῦ θεοῦ v.32. h.e. legem juſtitiæ Divinæ, qua ex principiis innatis non ſolùm noverunt Deum eſſe; ſed etiam piè, juſtè, ſanctè vivendum, & ſuum cuiq; tribuendum. 4. Aſſerit cap. 2. v.14.15. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, facere. Et cùm legem non habeant, ſibi ipſis eſſe legem, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ipſorum.

V. Atq;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-376 8° 3638

V. Atq́; inde ſic colligitur: Si gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt: idcirco ſequitur ipſam naturæ legem ejusq́; notitias ipſis naturaliter eſſe inſitas. Non igitur pendent ex prævia aliqua inſtitutione, neq; ex habitu aliquo acquiſito, ſed συμφύτῳ & ingenito. Item: quod cordibus hominum inſculptum atq; inſcriptum eſt; id ſanè naturaliter ineſt. Et ſic naturæ lex, ſeu naturalis æqui & boni cognitio. Porrò ſi morſum conſcientiæ in perperam factis ſentiunt homines, qui legem ſcriptã non habent, utiq́; aliam quandam legẽ Divinitus inſculptam in mente & conſcientia ſua circumferunt, quæ rectè facta probat; ſecus verò deſignata pœnis digna judicat. Habent igitur omnes ſani homines notitias de Deo & lege naturæ ſibi inpreſſas, inſculptas, inplantatas.

VI. Errant hîc fœdè. 1. Philoſophi, qui mentem & intellectum hominis eſſe inſtar raſæ tabulæ voluerunt, in qua nihil eſt actu ipſo, antequam aliunde inſcribatur. Unde colligunt nullas eſſe notitias & leges naturaliter inſculptas. 2. Errat

hîc turpiter Flacius, qui parte 1 clavis in voce legis col. 565. ita inquit: Quod aliqua vera principia aut notitiæ unius Dei ejusq́; gubernationis ſint adhuc in homine concedi non poteſt. *Et colum. 56..* hominem, inquit, natura de Deo, non plus ſcire quàm brutum. *3. Delirant hic quoq́; Photiniani. Et ſic Oſtorodius in Germanicis inſtitutionibus Rachoviæ impreſſis cap. 1. pag. 10.* perperam aſſerit, neq́; à natura, neque ex creaturarum contemplatione Deum cognoſci: ſed tantùm famâ de Deo extrinſecus homines addiſcere, quod aliquis ſit Deus & ipſe colendus.

II. Quid ſit naturalis Dei cognitio.

VII. Naturalis hæc Dei cognitio eſt tum lux quædam congenita de Deo; item honeſto faciendo, turpi fugiendo, in mentibus hominum accenſa: tum etiam evidens cognitio, ex rebus creatis deprompta, idq́; in illum finem homini conceſſa, ut Deus ipſe rectè quæratur, quæſitus agnoſcatur, agnitus glorificetur: atq́; diſciplina & pax publica conſervetur.

Ut

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-376 8° 3638

Ut enim omnes ſani homines in mente & conſcientia ſua de Dei eſſentia convincuntur: Ita etiam ex operibus ejus, quibus manifeſta Divinitatis ſuæ veſtigia impreſſit, eundem æternum, omnipotentem, ſapientem, bonum, miſericordem, veracem eſſe intelligunt Rom. 1. v. 19. Act. 14. v. 17. Pſal 8 & 19.

VIII. Errant hîc 1. Scholaſtici, qui has notitias naturales nihil aliud niſi actũ quendam habitu acquiſito comparatum eſſe ſtatuunt; vide Problema ſecundum. 2. Errant hîc quoq; illi, qui notitias hasce naturales eſſe potentias quasdam beneficio ſenſuum externorum accerſitas, & non naturaliter implantatas, urgent. Vide problema tertium.

IX. Hæc autem naturalis Dei cognitio proficiſcitur ex principijs internis & externis. III. Fontes huj⁹ naturalis Dei cognitionis.

X. Interna ſunt, quæ homo in ſe habet, idq; tam in anima, quàm corpore. Etenim primò anima, veluti ſpeculum & imago quadam DEI eſt, cui illuſtres quasdam de ſe notitias, honeſta à tur-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-376 8° 3638

pibus diſcernentes, inſevit. Rom. 1. v. 19. Conſcientia quoq́ locuples de Deo teſtis eſt, idq́ tam in rectè quàm ſecus factis. Rom. 2. v. 15. Deinde corporis humani ſtupenda fabrica, tum etiam ſingularum partium collocatio, coagmentatio, figura, qualitas ac functiones, illuſtria quædam Divinitatis veſtigia repræſentant.

XI. Externa illa cognitionis Divinæ principia, tum in Mundo, tum in cæteris rebus, quæ ejus complexu continentur, ὀφθαλμοφανῶς eluceſcunt Rom. 1, v. 20. Etenim ὁ κόσμος τῆς θεογνωσίας παιδευτήριόν ἐστι: ut ait Baſilius in Hexamero. Et hujus libri naturæ tria ſunt folia, ut loquitur Clemens Alexandrinus, Cælum, Solum, Salum.

XII. In Mundo infinita quoq́ ſunt, quæ de Deo dilucidè teſtantur, & inprimis tres hominum ſtatus. Primò cultus ille religioſus, qui ab omnibus gentibus in honorem numinis alicujus præſtatur, de Deo ejusq́ eſſentia & voluntate teſtatur. Deinde ſocietas politica, legibus ſapientiſſimè, etiam apud gentes, ordinata, Numen aliquod indigitat æternum, hũc ordi-

ordinem inſtituens, approbans & con-
ſervans. Tertiò, ſtatus conjugalis inſti-
tutio & in eodem miranda generis hu-
mani propagatio & conſervatio, idipſum
dilucidè convincit.

XIII. Quid quod non hæc ſolùm, ve-
rum etiam quilibet in prato floſculus,
quælibet in mari conchula, quælibet in
aëre avicula; imò quælibet Dei creatu-
ra de Creatoris potentia, ſapientia & bo-
nitate liquidò teſtatur, imò nobis diſertè
concionatur Matth. 6. v. 26. Act. 14, 17.
Pſal. 8. & 19. Unde non immeritò Sene-
ca exclamat; Deus eſt, quodcunque vides
& quodcunque non vides.

XIV. Ex his principiis Plato & alii cor-
dati Philoſophi illuſtres de Deo definitio-
nes & demonſtrationes extruxerunt, cu-
jusmodi ſunt illæ: θεός ἐστι ζῶον ἀθάνατον
αὐταρκὲς πρὸς εὐδαιμονίαν: Deus eſt
vivens immortale, cui nihil ad felicita-
tem deeſt. Item θεός ἐστιν οὐσία ἀΐδιος τ᾽ ἀ-
γαθοῦ φύσεως αἰτία, hoc eſt, Deus eſt eſ-
ſentia æterna, cauſa boni, quod eſt in na-
tura. Sic Socrates apud Xenephontem de
Deo colligit: Scito, inquit, Deum tan-
tum & talem eſſe, ut omnia audiat, om-

nia videat, & ubiq; adſit, ac ſimul omnium rerum curam gerat. Demonſtrationes quoq; ex ijsdem fontibus varias collegerunt, qualis hæc eſt: Qui omnia ordine & diſpoſitè agit, omniaq; conſervat, ſontes punit, inſontes vindicat, hominum flagitia benignè tolerat, eſtq; immutabilis; is meritò æternus, omnipotens, ſapiens, bonus, juſtus, miſericors & verax exiſtit. Talis eſt Deus, Ergo &c. Propoſitionem ponit ſynthereſis. Aſſumptionem ratio humana ex principijs partim internis, partim externis deducit. Complexionem ipſa διάνοια *infert.*

XV. Falluntur igitur hic. 1. Photiniani, qui notitias has naturales non eſſe homini congenitas, nec profectas eſſe ex principijs his internis & externis: ſed tantum inſtitutione, item fama atq; relatione externa has comparari atq; acquiri ſtatuerunt. 2. Impingit hic etiam Zanchius, qui hanc naturæ lucem non naturaliter à parentibus propagari: ſed à DEO *immediatè inſcribi autumat, cum inquit:* non ideo lex naturæ vocatur, quòd ea per A-

damum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-376 8° 3638

damum in nos naruraliter propagetur. *Cenſet igitur animas immediatè creari & inſpirari & cum ÿs quoq́ notitias naturales.*

IV. Notitia hæc naturalis eſt partim langvida, partim imperfecta.

XVI. *Quamvis autem naturalis Dei cognitio ſatis ſufficiens fuiſſet, ſi homo in priſtina integritate ſubſtitiſſet, & poſt lapſum etiam illuſtria eſſentiæ & voluntatis Divinæ teſtimonia ſuppeditet, quantum quidem ad Dei gloriam & majeſtatem attinet; non quoad noſtram ſcientiam & ſufficientiam: attamen oculi humani non illuſtrati verbi Divini radÿs, ut talpa ad ſolem meridianum, cæcutiunt, nec aſſeqvuntur, aut quis, aut qualis ſit* DEUS, *multò minus quomodò coli ac celebrari debeat. Ideo Paulus hanc naturalem* DEI *notitiam, quam aliás* DEI *ſapientiam, 1. Cor. 1. v. 21. nuncupat, propter hominum abuſum, ignorantiam apellat Gal. 4. v. 8.*

XVII. *Hæc igitur notitia, quæ in ſe valdè illuſtris, hominũ vitio fit partim langvida, partim imperfecta.*

Lang-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-376 8° 3638

XVIII. Langvida eſt hæc cognitio, quippe quæ horrendis ſæpe dubitationibus & erroribus eſt permiſta.

XIX. Hujus langvidæ aſſertionis exemplum habemus in prima Tuſculan. ubi Cicero diſputans de immortalitate animæ dicit ad Antonium: Evolve diligenter librum Platonis, qui eſt de anima: amplius, quod deſideres, non erit: Feci mehercule, inquit Antonius, & quidem ſæpius: ſed neſcio quomodo, dum lego, aſſentior; cùm poſui librũ, & mecum de immortalitate animarum cogitare cepi, omnis illa aſſertio elabitur.

XX. Imperfecta quoque eſt: quia licèt gentes, quoad externam legis diſciplinam, aliquid ex luce naturæ, & inſitis notitiis hauſerunt; idque potiſſimùm, quoad poſteriorem tabulam: Tamen quoad verum Dei cultum, qui in prima tabula præſcribitur, nihil certi noverunt: ſed eundem horribili idololatria contaminârunt. Quid quod hæc ipſa, quæ, quoad externam legis pædagogiam noverunt,

*runt, multa prodigioſa παράδοξα & ἄτο-
πα admixta habuerunt. Quantum ve-
rò ad Evangelium ſeu promiſſionem gra-
tuitam ſalutis propter Chriſtum attinet,
in denſa caligine fuerunt, quandoqui-
dem de eâdem nihil penitus, ex hac na-
turæ luce, ſciverunt Joh. 1, 18. Matt. 11.
v. 27. 1. Cor. 1. v. 21. & cap. 2. v. 7. 8.*

XXI. *Errat hic 1. Bellarminus lib. 4. de
gratia & libero arbitrio, qui ſtatuit
gentes non ſolûm unum: ſed & verum
Deum ex lumine naturæ cognoſcere po-
tuiſſe. Vide problema quintum. 2. Er-
rant hic Pelagiani, qui naturam huma-
nam poſt lapſum tanta perfectione ſta-
tuunt præditam, ut ex propriis viribus
poſſet Deum ſufficienter cognoſcere, co-
lere & ſalutem æternam conſequi 3. Er-
rat hic Zvinglius, qui non veritus eſt
aſſerere Deum ſcripſiſſe fidem in cor Se-
necæ, ſine prædicatione Evangelij, &
ſalvatum eſſe Herculem, Theſeum, Nu-
mam, Camillum & alios ejusmodi. 4. De-
lirant turpiſſimè novi fratres Roſeæ cru-
cis, qui ex magno, ut ajunt, naturæ li-
bro, perfectam, non ſolùm medicinam:
ſed plenam & perfectam abſtruſarum*

re-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-376 8° 3638

rerum cognitionem, interventu Magiæ & Cabalæ per characteres, neſcio quos, occultos, ſe haurire poſſe temerè gloriantur. Vide Prob. 8.

V. Utilitas hujus naturalis cognitionis Divinæ.

XXII. Nec ſua tamen utilitate caret hæc naturalis D E I *cognitio. Ad hæc enim quatuor potiſſimum conducit. 1. Ut Deus verus quæratur. 2. Ut quæſitus inveniatur. 3. Inventus glorificetur. 4. Ut omnis prætextus & excuſabilitas impiJs adimatur. Et reſpiciunt hi uſus tã impios quàm pios: In illis debet eſſe pædagogus* εἰς τὸ ζητεῖν *ad quærendum & glorificandum illum verũ Deum Act. 17, 27. In his verò debet eſſe quotidiana* ἀνάμνησις *divinorum operum & beneficiorum.*

XXIII. Etenim pijs hæc illuſtris Mundi machina, tanquam viſibile quoddam ſpeculum eſt, in quo inviſibilis Dei non ſolùm potentia, ſapientia, juſtitia, bonitas &c. liquidò cernitur; ſed cujus etiam intuitu perſæpè in ſpiritualium rerum cogitationem & admirationem, ad Creatoris laudem & gloriam, rapiuntur. Pſal. 19, 1. Cæli enarrant gloriam

Dei.

Dei. Rom. 1. v. 20. Chriſtus dicitur Sol juſtitiæ, Malach. 4, 2. Item erudientes alios ſplendebunt quaſi ſplendore hujus expanſi; & juſtificantes multos ut ſtellæ in ſempiterna ſecula, Dan. 12, 3.

XXIV. Pij igitur, quando hunc ſolem Mundanum intuentur, de Sole juſtitiæ cogitabunt. Quando hoc auguſtum Cœli palatium ſpectamus, quotusquisq; in Divinæ gloriæ & majeſtatis admirationem non rapiatur? Quando Cæli ſtellas conſpicimus, ecquis ſecuturæ, in futura vita, gloriæ quâ ſtellarum inſtar fulgebimus, non recordetur? Imò verò etiam abjectiſſimæ Mundi creaturæ de maximis rebus nos admonent. Ideo Chriſtus ipſe jubet nos conſiderare volatilia cæli; Item lilia quomodo creſcant. Matth. 6, 28. Et Solomon pigrum hominem ablegat ad formicam, Proverb 6, 6.

XXV. Impijs quoq; hæc naturalis DEI cognitio utilis eſt. 1. Eos de vero Deo celebrando commonefacit. Svadet enim naturalis hæc notitia mentibus ipſorum inſita, ut Deum, quem nonniſi langvidè & imperfectè cognoſcũt, quærãt ulterius rectè & perfectè ex verbo Divino, in Ec-

clesia

cleſia Chriſtiana, undiq́ refulgente, agnoſcere, agnitum veris cultibus celebrare, Rom. 1. v. 21. Cum Deum cognoverunt, tamen non glorificaverunt. Act. 17, v. 27. Fecit ex uno ſangvine omne genus hominum, &c. ut quærerent Dominum, ſi fortè palpando eum invenirent. 2. Prodeſt ijs hæc notitia ad externam in hac civili ſocietate diſciplinam, quam Deus ab omnibus, etiam non renatis, præſtari vult; idq́ potiſſimùm propter Eccleſiam, cui tuta ſemper hoſpitia atq́ halcyonia concedi voluit, idq́ in magnis Mundi imperijs. Quod ſine Diſciplina & pace publica fieri non poteſt. 3. Ad id conducit, ut inexcuſabiles reddantur omnes illi, qui hunc verum Deum non agnoſcant & agnitum veris cultibus non celebrent Rom. 1, v. 21.

XXVI. Errant hîc, qui hanc Dei lucem prorſus falſam, imò inutilem eſſe volunt, ut Flacius & Oſtorodius.

Vide problema 10.

Proble-

Problemata hùc
PERTINENTIA.

I.

An ſit aliqua notitia Deí naturalis? Aſſeritur contra Flacium, Oſtorodium, & alios, Vide theſ. 4. & 5.

II.

Sitné notitia hæc naturalis purus quidam actus, ut diſputant Scholaſtici? N. Quia purus actus ſoli Deo competit. Neque etiam eſt actus naturalis habitu externo acquiſitus: Ille enim tranſire poteſt, ut naturæ non ſemper eodem modo infixꝰ maneat. At notitiæ naturales perpetuæ ſunt.

III.

Utrum notitiæ naturales ſint tantùm facultates quædã à ſenſibus oblatæ; an menti cõgenitæ & im-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-376 8° 3638

implantatæ? Aff. poſterius. Quia Paulus cap. 2. ad Rom. ait ἔργον τοῦ νόμου h.e. legem naturæ & notitias naturales, γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις ſcriptas atq; inſculptas eſſe in cordibus, ſeu anima ipſa. Ergo non ſunt extrinſecus allatæ, atq; habitu quodam acquiſitæ; ſed naturaliter inſitæ atque inſculptæ.

IV.

Solane fama & inſtitutione acquirantur hæ naturales notitiæ, ut placet Oſtorodio? N. 1. Quia ſunt animæ habitus connatus atq; congenitus. 2. Sunt lex naturæ, quæ inſculpta eſt in cordibus. 3. Quia ſunt γνωστὸν τοῦ θεοῦ ἐν αὐτοῖς. 4. Sũt reliquiæ imaginis Dei in ipſo homine, quæ ſita in juſtitia & ſanctitate Epheſ. 4. v. 24.

V.

An gentes ex hoc lumine naturæ verum Deum noverint, ut aſ-

ſerit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-376 8° 3638

ſerit Bellar. lib.4. de Gratia & libero Arbitrio cap. 2? N. 1. Quia cognitio veri Dei eſt articulus fidei, quæ Eccleſiæ eſt propria. II. Verus Deus eſt pater, Filius & Spiritus Sanctus, quem gentes ignorârunt & horribili idolomania offenderunt. III. verus Dens ex ſolis ſcripturis cognoſcitur. Non igitur abſolutè & ſimpliciter verum Deum noverunt Ethnici; ſed limitatè & ſecundum quid, hoc eſt, aliquas veras de Deo notitias habuerũt ut eſſe Deum, eſſe eundem unũ, perfectum, colendum. Sed quid hoc ad veram & ſalutarem Dei notitiam? Juxtà enim ſcire eos oportebat ex S. Scriptura, quis & qualis ſit verus ille Deus, & quomodo rectè coli & celebrari velit.

VI.

Utrũ Ethnici ex lumine naturæ conſecuti ſint ſalutarē Dei cognitionem, & vitam beatam, ut

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-376 8° 3638

ſtatuit Zvinglius, Gvalterus, Foxius & alij quidam? N. Primo. Quia extra Chriſtum, quem illi ignorârunt, nulla eſt ſalus Johan. 17. v. 3. Act. 4. v. 12. Deinde deſtituebantur fide, ſine qua nemo poteſt placere Deo. Heb. 11. v. 6. Tertiò deſtituebantur Verbo Dei, per quod fidem in nobis accendit, & ſalutem operatur. Quartò immani odio flagrabant adverſus Chriſtum, doctrinam & præcones ejus. Faceſſat igitur tam prodigioſus & pernicioſus Zvinglij error.

VII.

An ex lumine naturæ bona opera, Deo grata, Gentes præſtare potuerint, ut Pelagiani aſſeruerunt? N. I. Quia ipſorum opera fiunt à perſona, quæ nondum Deo reconciliata eſt per fidem in Chriſtum, ſine qua nemo Deo placere poteſt. Hebr. 11, 6.

II. Quia

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-376 8° 3638

II. Quia ipſorum opera non fiunt ex vera fide, ſine qua quicquid fit, peccatum eſt Rom. 14. v.23. III. Fiunt à tali homine, cujus & mens horribili de Deo cæcitate obtenebrata & conſcientia polluta atq́; inquinata eſt peccato, Tit. 1. v. 15. IV. Quia fiunt ab eo, cujus φρόνημα τῆς σαρκὸς θάνατος eſt. Item ἔχθρα εἰς τὸν θεὸν Rom. 8. v. 6. V. Non diriguntur eorum opera ad debitum finem, quem oportet, videlicet veri Dei gloriam; ſed ad propriam ipſorum laudem, ambitionem, utilitatem &c.

IIX,

Utrum Fratres Roſeæ crucis ex Magno Naturæ libro, per licitam quandam Magiam, ut ajūt, & Cabalam occultam, idq́; per abſtruſos quosdam Characteres, non ſolùm admirandam quandam Chymiam & Medicinam,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-376 8° 3638

hactenus omni ævo inauditam & incognitam; ſed etiam perfectam rerum & ſcientiarum cognitionem, ut jactitant, elicere poſſe veriſimile ſit? N. I. Quia hæc naturæ lux, cùm propter noſtram cæcitatem & ignorantiā langvida & imperfecta ſit, ut theſ. 17. Ideo ejuſmodi abſolutā rerū cognitionē nequaquā ſufficere potis eſt. II. Talis perfecta rerū arcanarū & abſtruſarū ſciētia, qualē illi ex hac luce promittunt, in hominē, in hac vita, cadere non poteſt. III. Nūquā inde ab origine Mundi tale quid, cujuſmodi illi pollicentur, à ſanctis Patriarchis, Prophetis & Regib⁹ ſapientiſsimis, Davide, Salomone & alijs, neq; ab ullis Philoſoph. Triſmegiſto, Platone, Ariſtotele & ſimilib⁹, auditū, nedum præſtitū eſt. Mirū igitur non abs re videbitur, quomodo hi novi fraterculi, ita ſubitò ex hoc Magno

natu-

Naturæ libro, ut jactitãt, tam inaudita ſapientiæ κειμήλια hauſerint, atque inæſtimabiles, plùs, quàm Cręſus theſauros, poſsederint. IV. Scriptura ipſa de ejusmodi perfecta & abſoluta rerum in hac vita cognitione nos deſperare jubet, cùm inquit 1. Cor. 13. v. 12. Cernimus hîc per ſpeculum & ænigma: tunc autem corã cernemus: nunc cognoſcimus ex parte, tũc verò perfectè cernemus. Maturè igitur providendũ erit, ne hi Cadmei fratres novas veritatis arces pollicẽdo, utiliſſima veterũ invẽta, quib. ſocietas humana hucusq; magno Eccleſiæ, magno Reib bono uſa eſt, cõvellant & funditꝰ ſubruãt: nova abſurdiſsimarũ opinionũ monſtra parturiãt: orbem Chriſtianũ novis turbis & opinionũ tempeſtatib. cõpleant; & credulã atq; incautam juventutẽ à ſana doctrina per ſuas κενοδοξίας, veluti ſyrenũ cantus, abducant atq; pervertant.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-376 8° 3638

IX.

An Ethnicorum hominum opera & virtutes, ex lumine naturæ promanantes, peccata ſint?

R. Per diſtinctionem: Ethnicorum virtutes & opera, ad externam legis diſciplinam congruentia, in ſe non ſunt peccata, ſecundum ſubſtantiam operis, ut loqvuntur; ſed reſpectivè, quâ fit reſpectus ad cauſam efficientem, à qua fiant: ſubjectum, in quo fiant: objectum, circa quod verſentur: & finem, ad quem dirigantur. Primò ipſorum virtutes non promanant ex vera radice bonorum operum videlicet fide. Secundò, non fiunt à perſona Deo reconciliata per fidem. Cùm igitur perſona Deo non placeat, neq; ejusdem opera ipſi placere poſſunt. Tertiò Ethnicorum obedientia verſatur circa particulam quandam legis Divinæ, eamq; externam, inte-

interiorem & ſpiritualem illam nullo modo attingens. Quartò, non diriguntur ipſorum opera ad Dei veri gloriam: ſed omnia illi ad ſuam laudem & Patriæ atque amicorum utilitatem referunt. Utut igitur ejuſmodi virtutes in ſe bonæ & hominibus gratæ atq; utiles ſint: Tamen in conſpectu Dei, qui intus & formaliter rem intuetur & novit, atq; ſecundum veras ſuas conditiones omnia metitur & æſtimat, non virtutes; ſed pro peccatis reputantur. Unde ſcitè Lutherus Tom.1. oper. lat. pag. 122. Bona naturaliter & moraliter facta; ideo ſunt mala coram Deo, quia non fiunt ex Deo, nec propter Deum, hoc eſt, non referuntur in Deum: ſed homo ea ſibi tribuit & eis tanquam ſuis ſibi placet cùm non ſint ſua.

X.

Siccinè, rectè naturales haſce

 noti-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-376 8° 3638

notitias, quidã falſas & inutiles pronunciarint? N. 1. Quia ab Apoſtolo Paulo Rom. 1. v. 18. etiã, quâ in gentib. nominantur ἀλήθεια. 2. Dicuntur γνωστὸν τοῦ θεοῦ. 3. δικαίωμα θεοῦ. 4. τὸ ἔργον τοῦ νόμου. 5. Sunt reliquiæ imaginis Dei in homine, Eph. 4. v. 24. Quis ergo hæc falſitatis inſimulare velit?

XI.

An non gentes excuſationem mereantur, quotquot luce verbi Divini, quæ ſola ſalutaris, deſtituantur? N. 1. Quia omnibus in Adamo protoplaſto talis data Dei cognitio, qua ex luce naturæ & imagine Dei in ipſo eximiè refulgente, Deum rectè cognoſcere potuerint. Quâ cũ per ſpontaneum lapſum & ſe & poſteritatem ſuam privavit: Ideo excuſationem jam nullo modo merẽtur ipſius poſteri, ſi ex hoc lumine naturæ, propter hæreditariam hanc ipſorum, cæcitatem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-376 8° 3638

tem & ignorantiam, id jam non aſſequātur, quod tū ultronea obedientia, ſi perſtitiſſent, præſtare poterant. II. Poſt lapſum Deus ex mera gratia ſupereſſe voluit in mente & corde hominum reliquias quasdam primævæ illius imaginis, quæ de vero Deo quærendo & colendo pædagogi inſtar eos admonerent. Cujus ductum ſi ritè ſequantur, nec prævenientem in Verbo Divino gratiam faſtidiosè excutiant; ſed his adminiculis Deum in Eccleſia Chriſtiana quærant, quæſitum rectè agnoſcant & glorificent: juſtitiæ & ſalutis participes fiunt. Reliqui verò, qui veritatem hanc Dei in injuſtitia detinent, et lucem Dei in ſe ſuffocant atq; extingunt ſua ſpte incuria & pertinacia pereunt. Ideoq; excuſationem nullam merentur. III. Deus Eccleſiam ſuam ſemper in excelſo loco, ſeu in illuſtri Mundi Regno

vel

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-376 8° 3638

vel Monarchia conſtituit, & toti ſemper orbi eam conſpicuam reddidit: Atq; inde Verbi Divini radios non famâ ſolùm; ſed etiam viva voce, per præcones ſuos Prophetas & Apoſtolos, Eccleſię doctores usquequaq; in omnes Mundi angulos longè lateq; didit atq; transfundit Rom. 10. v. 18. Quotquot igitur nec prævia hac naturæ luce ſvadente, nec etiam gratioſa Verbi Divini famâ ſe adduci patiantur, ut verum illum Deum in Eccleſia quærant, quæſitum agnoſcant & celebrent, illi ſibiipſis ad ſalutem aditũ præſtruunt, omnemq; ignorantiæ & imbecillitatis prætextum adimunt.

XII.

An quoniam multæ adhuc dubitationes in hominum mentibus hærent, ideo ſequatur, ut quidam autumant, lucem naturæ in quibusdam

busdam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-376 8° 3638

busdam planè extinctam eſſe?

N. & diſtingvendum inter du-
bitationes, quæ ſunt in impijs &
pijs. Impij licèt ex Sathanæ ſug-
geſtione & impulſu nonnunquã
eò deveniant, ut Deum eſſe ne-
gent, ut Pſal. 14,1: Tamen, ubi
ad conſcientię ſuę teſtimonium
redeant, Deiq; juſtiſsimam iram
& indignationem propter ſua
peccata pertimeſcere incipiant;
eveſtigio Deum eſſe nolentes vo-
lentes fateri coguntur Rom. 2,
15. Ab hac itaque particulari in
impijs dubitatione non rectè in-
fertur univerſalis in omnibus
gentibus Dei ignorantia. Pij
verò, etſi nõnũquam ex infirmi-
tate quadam de Dei præſidio,
gratia & auxilio dubitent: Ta-
men nunquam dubitant de Dei
eſſentia, utrum nempe ſit Deus,
à quo omnium bonorum corpo-
ralium & ſpiritualium in ſeri-
vulos fæcundiſsimos quotidie
dimanare manifeſtiſsimè ſenti-
unt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-376 8° 3638

unt. Aliud igitur eſt dubitare de gratia, aliud de eſſentia Divina, quę in pios nullo modo cadit

XIII.

Sintne notitiæ naturales apud omnes gentes eædem? R. per diſtinctionem. Diſcernendum eſt, inter legē naturę ſeu notitias naturales, & inter earū uſum & applicationē. Notitiæ naturales, quatenus ſunt habitus congenitus, animo impreſſus atque implātatus, apud omnes gentes eędē ſunt. Etenim omnes ſani homines, ut eandē ſpecie animam, ita quoq; easdem animæ facultates & proinde etiā notitias obtinent. Attamen quoad uſum & applicationē attinet, magna eſt varietas. Nā aliĳ has notitias naturales liberali educatione, itē artiū & virtutū ſtimulis exuſcitant: aliĳ verò easdem nō ſolùm non excolunt & exacuunt: ſed affectata ſua ignavia & pertinacia hos igniculos ſuffocant & extin-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-376 8° 3638

tingvũt. Atq; hoc reſpectu in omnibus non ſunt eædem.

XIV.

Rectené Flacius 1.Part.cl. colum.566.Dn.Luthero hoc impingat, quod affirmârit nunc poſt lapſum, nos nihilò plus ſcire, quàm ipſas pecudes? N. Lutherus non loquitur abſolutè, ſed comparatè, idq; I. Reſpectu ad illam illuſtrem Dei cognitionem, quæ ex Verbo Divino de Deo ejusq; voluntate percipitur. In qua comparatione ita langvida & imperfecta eſt naturalis illa Dei cognitio, ac ſi nulla eſſet. II. Reſpectu operis Redēptionis, juſtificationis, ſanctificationis. Hîc ſanè ratio cum ſua notitia, verè bruta et animalis eſt ut 1. Cor. 2, 7. et 14. Quod igitur de notitia naturali in Luthero dictum eſt, id non ἁπλῶς; ſed comparatè intelligendũ erit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-376 8° 3638

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-376 8° 3638

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-376 8° 3638

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-376 8° 3638

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-376 8° 3638